



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

6. In quibus liceat cum hæreticis communicare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41565

non requirit. Ipsa enim lex dum fertur prævia admonitio est.

ARTICULUS VI.

*In quibus liceat cum hæreticis
communicare.*

T Ametsi olim vitandi essent omnes Hæretici, quomodocumque cogniti; nec à fidelibus admitti possent ad ullam communicationem sive civilem, sive Religiosam; Tamen ob inquietudinem fidelium habentium timoratum conscientiam, hoc reductum est ad solos hæreticos publicè denuntiatos, quod factum fuit à Martino V. in Conc. Constant. & in Conc. Basileens. sess. 20. confirmatum, uti etiam postea sub Leone X. sess. 10. Quod decretum Martini sic habet. *Ad evitanda scandala, & multa pericula, subveniendumque conscientiiis timoratis, statuitur quòd nemo deinceps à communione alicujus in Sacramento- rum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel extra. prætectu cujus- cumque sententia aut Censura Ecclesiastica, seu suspensionis, aut prohibitionis, ab homine vel à jure generaliter promulgata teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibi-*

H 3

tio,

zio, suspensio vel censura hujusmodi fuerit contra personam, collegium, universitatem, Ecclesiam, aut locum certum à iudice publicata vel denunciata specialiter vel expressè.

Quo decreto licet permittatur fidelibus communicatio, tam in divinis, quàm civilibus, cum hæreticis & aliis excommunicatis non denunciatis, non tamen vicissim conceditur ipsis excommunicatis etiam non denunciatis, ut cum aliis fidelibus possint conversari, aut communicare, quia hoc solùm concessum est in favorem fidelium.

Et hoc quidem est quod permittitur fidelibus, dummodo nihil aliud obstet, vitandi enim sunt, imo maximè hæretici occulti, propter periculum perversionis, & sæpe etiam scandali. Præcipuè autem cavendum est conversari cum illis qui in omnibus colloquiis aliqua effutiunt contra fidem Catholicam, calumniando & detrahendo Ecclesiasticis, deridendo Sacramenta & Ecclesiæ cæremonias, quia per hoc inficiunt paulatim mentes pusillorum, imo sæpè etiam majorum, uti experientia satis hæctenus ostendit.

Monendi autem sunt Catholici parentes ne facile tradant proles imbuendas hæreticis Magistris, etiam in primis rudimentis, nec collocent apud hæreticos Mercatores, seu amicos, secreto enim semina aliqua teneris animis pusillorum inferuntur, quæ sæpe post plurimos tandem annos pullulant; & inperceptibiliter inficiunt.

ARTI-